


**05**  
**A**  
**2255**





Τετραδιον

25

QUÆSTIONUM  
ILLUSTRIUM ETHI-  
CARUM,

QUAS

Divinâ annuente & favente gratiâ,

*In inclutâ Academiâ Albimontanâ.*

SUB PRÆSIDIO

WILHELMI NIGRINI,  
Philosophiæ Practicæ Professo-  
ris Publici.

*Liberalis exercitiij gratiâ Publicè discutiendas  
exhibet*

JOHANNES GEORGIUS DÖLLIUS  
Dresdensis Elect. Sax. Alumnus.

*Ad diem 1. Junij*

In auditorio Veteri horis antemeridianis.

---

WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typogr. JOHANNIS RÖHNERI,  
ANNO MDCXXXVI.



05 A 2255



*Deo duce, comite veritate.*

QUÆSTIO I.

*An milites, qui contra veram religionem bonamque cau-  
sam scienter militant, sint fortes dicendi?*



**I**lli scienter contra verum reli-  
gionis cultum, ullamve aliam bonam  
causam spe lucri aut alio fine minus licito  
armasunt, illi turpissimam impietatis  
ac levitatis notam contrahunt, adeoque  
fortium virorum classi annumerari nequeunt. Nam  
i. quicumque honestatem sibi non habent propositam, illi for-  
tes dici nequeunt, quia fortitudinis finis est honestas, quã  
qui non intendunt, fortium virorum nomen non meren-  
tur. Atqui milites contra veram religionem bonamque  
causam scienter militantes honestatem sibi non habent  
propositam, neque pro eã, sed contra eam dimicant. Id-  
circo in illorum censu sunt habendi, de quibus ita *Luca-*  
*nus* lib. 10. de bello civili:

*Nulla fides pietasque, viris, qui castra sequuntur,*

*Venalesque manus: ibi fas, ubi maxima merces.*

Et *Doct. Chemnitius* parte 2. Loc. Theol. loco de vindicta p.  
127. *Multi ignavi fugitantes laborum discurrunt, qui constitu-*  
*tionem pacis oderunt, & militando non aliud, querunt, quam*  
*predam & licentiam omnis generis perurbantia. Et de illis ma-*  
*nifestum est, quod non sint milites sed latrones, quarentes sal-*  
*tem sceleris impunitatem: quia de illis, quæ ad legitimam vin-*  
*dictam publicam pertinent, nil recte cogitant. Ergo mili-*

A 2

tes

tes isti fortes non sunt dicendi. 2. *quicumq;* spontaneo motu, nullâ injuriâ affecti bonæ causæ vim inferre, veramque religionem per arma suppressere cogitant, illi fortes minimè sunt habendi: hæc enim fortitudini maximè adversari, nemo non videt *cum prodesse omnibus, & obesse nemini virtutis summopere sit proprium*, ut habet *Francisc. Piccolomineus* Grad. 4. Phil. Moral. c. 51. p. 373. Jam verò milites contra veram religionem bonamque causam scienter & spontè militantes istud faciunt, quod per se manifestum. E. fortes minimè sunt habendi. 3. *Quicumq;* illegitimo bello, (ubi juxta leges non exercetur publica vindicta, neque attenditur vera ejusdem causa impulsiva, formalis & finalis) suam operam temerè addicunt, illi pro fortibus habendi non sunt. At milites contra veram religionem bonamve causam scienter militantes illegitimo bello suam operam temerè addicunt. Ergò pro fortibus haberi non debent.

## QUESTIO II.

*An vita per temperantiam, aliave media prolongari possit?*

Non saltem hominem, sed omne vivens necessariò mori, præter communem experientiam, probat etiam Commune Philosophorum effatum: *que naturaliter generantur, etiam naturaliter corrumpuntur*: rationem addunt hanc: quia rerum generabilium potentia est finita, quæ infinito tempore operari non potest. Sed ut hæc certa sint, nihilominus tamen de tempore & termino mortis dubia incidit quæstio, si diuturnitatis & brevitatis vitæ causas inquiramus. *Quidam veterum* referente *Cælio Rhodigino* lib. 4. lect. antiq. c. 17. ex fellis vacuitate vitæ longi-

longitudinem pro manare voluerunt. Quæ opinio ab eodem Cœlio rectissime rejicitur. *Varro & Dioscorides* Astrologus cum quibusdam *Ægyptijs* Philosophis vitæ terminum ex cordis incremento & decremento concludunt, ita ut cor augeatur primò singulis annis drachmæ pondere usque ad annum 50, postea rursus decrescens eodem modo ad centesimum usque sit causa interitus; inde communem terminum vitæ annum centesimum statuebant. Videatur *Cœlius Rhodig*, l. 19. Lect. antiquar. c. 21. *Plinius* lib. II. c. 30. *Langius* libr. epist. Medicin. epist. 79. *Trebellius Pollio*, annotante Cœlio & Langio, loc. alleg. terminum vitæ ita determinat. *Doctissimi*, inquit, *Mathematicorum* centum viginti annos homini ad vivendum datos judicant nec amplius cuiquam concessum ajunt, adduntq; *Mosen* ipsum Deo familiarem, viginti quinque & centum annos vixisse, qui cum interitum hunc velut immaturum conquereretur, ferunt, illi ab incerto numine responsum, neminem deinceps plures annos victurum. Sed & hæc opiniones infirmiores sunt, quàm ut calculum nostrum mereantur. Eas ergo nos missas facimus, & jam convertimus ad *Aristotelis* & *Galenii* placitum, quo vitæ periodus per calidi & humidum tanquam principiorum vitalium temperaturam describitur, unde vivaciores judicantur, in quibus humidum & calidum est præstantius. Cum autem hæc interna vitæ principia & conserventur & sapius quoque depraventur externis causis; ideo ulterius nunc quæritur. *Num alicui temperantia & bonâ diætâ possit prolongari vita? Negativam* *Homerus* *Odyss.* & *Plato* in *Timæo*, *Stoici* multiq; alij tueri videntur qui cuilibet certum & fatalem vitæ terminum (qui nec prolongari nec abbreviari possit) constitutum esse asserunt.

A 3

Sed



Sed nos affirmativam sententiam ut veriore[m] amplectimur ducti sequentibus rationibus : quarum 1. desumitur à causis vitæ naturalibus. Constat enim vitam nostram consistere in calido & humido radicali. Videatur *Scalig. Exerc. 184. sect. 4. Galenus de longit. & brevit. vitæ Ranzow. de conservat. valetud.* Quemadmodum igitur illa de vitæ filo aliquid abscindunt, quæ temperaturam calidi & humidi turbant ac debilitant : ita è contrario, quæcunque ad eam conservandam faciunt plurimum, telam vitæ prolongant : principijs enim vitæ materialibus & formalibus subinde restauratis & retardatis, ipsa etiam vita prolongatur. Jam vero temperantia & bona diætã ad temperaturam calidi & humidi radicalis plurimum faciunt. Ergo telam vitæ prolongant. Quo spectat illud *Siracidis c. 37. v. 34. propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adiiciet vitam.* Huc etiam faciunt quotidiana exempla : Nam Socratem tantã temperantiã fuisse traditum est, ut omnia ferè vitæ tempora inoffensa à valetudine vixerit. *Laërtius lib. 2. de vit. Philosoph.* Ideoq; cum sævissima lues grassaretur Athenis, solus ferè communi omnium cladi non fuit obnoxius. *Gellius lib. 2. noct. Attic. c. 7. Ælianus lib. 13. variar. hist. Xenophilus Musicus ut 105. annos impleverit, sola corporis cura & bona diætã fecit, Plinius lib. 17. c. 50. Sic Galenus, quod 170. annos attigerit & sine omni morbo solo senectutis marasmo placidè obierit, temperatissimæ ejus vitæ ascribitur. Unde ipse lib. 6. de sanitate tuenda scribit : Ignorantes diætã rationem citius, quàm secundum naturam moriuntur. Plura exempla libenter omittimus.*

2. à fine medicine. Si vita simpliciter & absolutè non potest ullo modo prolongari, sequitur, quod omnis medicina sit inutilis, vana ac inutilis, utpote, cujus finis est hominem



25

nem ab immaturâ morte liberare, ejusq; vitam servare & prolongare. Jam autem posterius est absurdum, Ergo & prius absurdum erit. *Antecedens* patet: quod enim medicina non frustranea, vana aut inutilis sit, inde patet, quia Deum autorem habet. Hinc *Siracides* c. 38. v. 1. ait: *Honora medicum propter necessitatem, etenim illum creavit altissimus* v. 2. *à Deo est omnis medela* v. 24. *Altissimus creavit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam* v. 11. 12. *Da locum medico, etenim illum creavit Dominus & non discedatâ te, quia opera ejus sunt necessaria.* Si igitur medicina, cujus beneficio vita sæpissimè servatur, adeoq; prolongatur, à Deo est; utiq; inanis & frustranea esse nequit: Deus enim & natura nihil faciunt frustra.

3. *à promissionibus divinis.* Si vitæ terminus simpliciter non posset prolongari vel abbreviari, sequeretur, vanas esse promissiones & comminationes divinas; siquidem Deus liberis, qui parentes honorant, præmij loco vitam longiorem promittit *Exod. 20. v. 12.* Dolosis autem & viris sanguinum minatur, quod dies vitæ vix dimidij iis sint futuri. *Psal. 55. v. 24.* Absurdum autem est consequens nempe inanes & irritas esse ejusmodi promissiones & comminationes divinas. Ergo etiam absurdum erit antecedens, videlicet, terminum vitæ ad eò fatalem nobis esse præscriptum, ut nullo modo prolongari vel abbreviari possit. Pro decisione quæstionis distingvimus *inter terminum vitæ à Deo præfixum, qui vel est simpliciter absolutus, de quo scriptura pronunciat: Statutum est hominibus semel mori; Heb. 9. v. 27.* & hunc homo effugere aut prolongare nequit; *vel est hypotheticus seu conditionatus, qui piis precibus, obedientiâ parentum, temperantiâ, prudentiâ, medicamentis & similibus sæpè vitari & prolongari potest.* Sic *Hiskias 2. Reg. 20. v. 12. seq.* & *Paulus cum comitibus Act. 28. v. 24. seq. terminum*

minum hunc conditionatum evitarunt; Cum autem absolutus adesset terminus, nec Hiskias nec Paulus cum comitibus illum effugere poterant.

### QUÆSTIO III.

*An liberalitas cadat in pauperes?*

*Negativa* videtur svaderi posse hoc argumento: Qui destituuntur nervis rerum gerendarum, circa quas liberalitas propriè occupatur, in illos non cadit liberalitas: quibus enim deest objectū liberalitatis & fundamentum actionis, illis & ipsa deest liberalitas. Atqui pauperes, qui nihil aut parum habent, quod largiantur, destituuntur nervis rerum gerendarum hoc est pecuniâ & sumtibus. Ergo in pauperes non cadit liberalitas.

*Verùm affirmativa* quæstionis verior est: Nam ubicunq; ponitur fundamentum virtutis in actu, ibi quoq; ipsa virtus ponitur. Sed in quibusdam pauperibus ponitur fundamentum liberalitatis in actu. Ergo & ipsa liberalitas. Minor probatur; quia fundamentum hujus virtutis non est quantitas doni, sed qualitas dantis, non illius magnitudo, sed animi promptitudo & benevolentia; Qui enim dat pauca manu, promptâ tamen mente, is plus dat, quàm, qui donum splendidum manu confert, animo verò invito. Unde sæpè fit, ut beneficium, quod secundum rei quantitatem minus, affectu sit longè majus illo, quod secundū rei quantitatem majus est: propterea sæpè is, qui pauca largitur, liberalior fit eo, qui multa largitus est. Testatur id paupercula illa vidua, quæ duos tantū obulos in gazophylacium immiserat, nihilominus iudicio ipsius Christi plus dedit, adeoq; liberalior fuit, quàm omnes Pharisei & reliqui divites, qui amplissima injecerant munera. *Luc. 21. v. 2.* Nimirum æstimabat Christus munus istud non ex suâ magnitudine, sed ex dantis affectu. Sic *Plutarchus* eo nomine commen-

25

mendat Artaxerxem, Persarum regem, quod nempe aquam à rustico quodam oportune sibi oblatam, exquisito animo acceperit inquit: *Non est minus regium, ab alio paucula accipere, quam largiri magna.* Innuens, illa ex animo propenso, hæc ex animo sordido sapius provenire. Unde præclare Cicero in officiis ait: *In conferendo beneficio plus animus, quam sensus operatur, magis preponderat benevolentia, quam possibilitas reddendi muneris.* Et egregie Seneca Epist. 83. *Sæpe, inquit, divitiæ catervatim in domum infuse hoc non potuere, quod oportune dati mille denarij. Multum enim interest, an donaveris, an verò succurreris; an servaverit illum tua liberalitas, an instruxerit. Sæpe quod datur, exiguum est, quod sequitur ex eâ magnum est.* Idcirco Aristoteles sapienter admodum monet, in collatione beneficiorum respiciendas imprimis esse facultates, quas si obtineas locupletiores & auctiores, plenis etiam manibus, urgente necessitate, dabis; sin verò tenuiores, utiq; remissiori etiam manu tibi dandum fuerit, & cavendum, ne aliis per tuam beneficentiam sit relaxatio, tibi v. angustia. Proinde si pauper pro conditione suâ uno etiam nummo moderatè uti didicerit, non est, quod virtutem liberalitatis ei denegemus. Cum talis in unico nummo se vel prodigum vel avarum declarare queat; dum scilicet illum elargitur, quando & ubi non est necesse; & contra, quando retinet, cum elargiri honestas efflagitabat. Et quamvis accidat, ut pauper quispiam planè reperiatur, omnibus rebus, & quidem absolutè destitutus, ita, ut nihil habeat, unde liberalitatem exercere possit; Interim tamen, quia ad animum tanquam ad basin & fundamentum liberalitatis primariò respiciendum est, nihil prohibet, quò minus talem fundamentaliter liberalem rectè pronunciemus, quippe cuius mens ita est comparata, ut in bonis externis, si suppetere, moderatè

B

ope-

operaretur & versaretur. Largimur quidem uitro, quod  
majestas & splendor liberalitatis clarius enitescat in iis, qui  
fortunæ bonis affluunt, quàm quibus est res angusta do-  
mi: nihilominus tamen, cum & pauperes suam labore ma-  
nuum paratam habeant possessionem, licet tenuem, utiq;  
de eâ, quam Deus concessit, alijs elargiri queunt. Neq; n.  
liberalitas requirit magnas opes, ut magnificentia sed etiam  
locum habet in mediocribus & exiguis facultatibus, quas  
pauperibus omninò denegare velle experientiæ repugnat.

Argumentum quod spectat pro negativa allatū, respon-  
demus, neq; majorem neq; minorem simpliciter veram  
esse. Nam 1. solum objectum virtutem non efficit, sed re-  
quiritur etiam applicatio legitimo animo ad objectum di-  
rigenda. 2. Pauperes non planè destituuntur ner-  
vis rerum gerendarum, neque illis penitus deest obje-  
ctum liberalitatis & fundamentum actionis; adest n. ani-  
mus benevolus & promptus dandi, adsunt etiam aliquibus  
facultates, licet non splendide, tamen aliquales, quæ ad ex-  
ercendam liberalitatem sufficere possunt, nam & illi libe-  
rales sunt, qui parum tribuunt, quando & ubi est necessum.  
3. Illi qui prorsus nihil dant, animum autem dandi habent,  
non quidem formaliter & actu secundo liberales nominan-  
tur, possunt tamen dici liberales fundamentaliter & actu  
primo. 4. Distingvendum est *inter gradus liberalitatis: quæ-  
dam n. ratione opum est splendida, ut in divitibus, qui mul-  
tum largiuntur: quedam verò est exigua, ut in pauperibus,  
qui parum prompto animo largiuntur, ac propterea libera-  
les haud immeritò appellantur.*

#### QUÆSTIO IV.

*An amicitia possit esse inter malos & improbos?*

Utilem & jucundam amicitiam, inter malos & im-  
probos versari, notius est, quàm ut operosiori explanatio-  
ne indigeat: honestam a. & veram amicitiam, in quâ nihil  
fictum & simulatum inter improbos & malos coli non pos-

se, sed tantum inter bonos viros locum habere, sequentes evincunt rationes: 1. *Cujus* amicitiae causa efficiens est virtus, illa inter malos esse nequit: quia virtus non nisi in bonis est, sine qua nemo potest viri boni nomen habere aut tueri. *Atqui* honestae & verae amicitiae causa efficiens est virtus, quae sola eam conciliat, ut testatur Cicero in Laelio. Et alibi scribit: *cum conciliatrix amicitiae sit virtutis opinio, difficile est amicitiam manere, si a virtute defeceris.* Ergo honesta & vera amicitia inter malos esse nequit. 2. *Inter quos* non est vera dilectio, inter illos vera amicitia locum habere nequit: quia vera amicitia veram dilectionem exposcit. Vera a. dilectio ad verum bonum tendit, rectumque judicium exposcit. Propterea judicium rectum & verum bonum seorsim a virtute & probitate consistere nequit. *Jam v.* inter malos non est vera dilectio: hi n. non simpliciter amant, sed semper ob aliquod commodum vel voluptatem: cum tamen in vera amicitia id, quod simpliciter & per se amandum, non ob utilitatem, aut voluptatem aliquam amemus. Ergo inter malos vera amicitia locum habere nequit. 3. *Ubi* non est vera *Φιλαντία* requirens benevolentiam & beneficentiam quam quis vera animi bona acquirere & sibi ipsi bene facere debet ibi non est vera amicitia: Siquidem ex illa veri amici officia petuntur. *Atqui* apud malos non est vera *Φιλαντία*, quia sibi ipsis non bene volunt, sed tantummodo sectantur apparentia bona quae externa & plerumque illis noxia. Immo secum dissident ipsi, dum rectae rationi repugnant & appetitum mala suggerentem sequuntur. Unde etiam cum alijs consentire haut poterunt. Nam *conveniet nulli, qui secum dissidet ipse.* Sicuti n. probitas semper sibi similis, sibi amica, suaeque naturae amabilis, ita improbitas sibi est dissimilis, sibi in se adversa & alijs odiosa. Ergo apud malos non est vera amicitia. 4. *In quos* non cadit firma, fixa & stabilis amicitia, in illos etiam non cadit vera amicitia. Haec n. est firma, fixa & stabilis. *At in malos & improbos* non cadit firma, fixa



& stabilis amicitia. Improbi n. sunt instabiles & inconstantes, & non nisi ad breve & exiguum tempus concordēs esse possunt, ut testatur *Philosophus* lib. 9. *Eth. Nic. c. 6.* Hinc & *Plato* in *Lyside* ait: *Verū mihi videntur dicere, bonos similes esse invicem & amicos: improbos autem nunquam vel sibi ipsis vel invicem similes esse, sed stolidos penitus & instabiles.* Ergo in malos non cadit vera amicitia. 5. *Quae amicitia est rara & tantū inter bonos, illa in malis locum non habet, quia mali non sunt boni, & sicuti bonorum exiguus est numerus, ita malorum tanta est copia ut numerari non possint.* At honesta & vera amicitia est rara & tantū inter bonos, ut testantur *Arist.* lib. 8. *Eth. c. 3.* & *Cicero* in *Laelio.* & honesta & vera amicitia in malis locum non habet. Propterea rectē dixit *Seneca:* *Solus sapiens se amat.* Item: *inter bonos viros amicitia est conciliante virtute.* Et scitē *Cassiodorus:* *Semper vera amicitia inter bonos oritur, inter bonos proficit, inter malos consummatur.*

*Excipis:* Improbi malarum rerū ineunt societates, ut habet *Phil.* l. 9. *Eth. c. 12.* & inter eos etiā existit amicitia. Ubi n. datur societas, ibi amicitia. Resp. a. cū *Salustio*, quod inter bonos sit amicitia, inter malos autem factio. Sicuti n. intemperata calida & frigida possunt quidem copulari, at sola temperata possunt inter se convenienter uniri. Sic & inter malos potest fieri quaedam conspiratio, sed inter solos bonos justa pacis tranquillitas & firma necessitudo. Corollaria.

1. An animi fortis sit, illatam injuriam patienter ferre? Aff.
2. An fortitudo in sexum etiam femineum cadat? Aff.
3. An pro alterius salute bibendum? Dist.
4. An omnis excessus in bibendo simpliciter vitiosus & prohibitus? Dist.
5. Utrum in Conviviis sit trascendum? Neg.
6. An amicitia inter plures locum habeat? Dist.
7. Num diverse religionis homines possint esse amici? Dist.
8. An amico reconciliato sit fidendum? Disting.
9. An parentum in liberos, quā horum in illos amor intensior? Affir.
10. An amor maternus in liberos vehementior sit paterno? Aff.

DEO Optimo, Maximo, honor, majestas & gloria  
nullis terminanda seculis, AMEN.

05 A 2255

ULB Halle  
003 782 387

3




VD 97

64.









28

*Tetradion*

# QUÆSTIONUM ILLUSTRIUM ETHI- CARUM,

QUAS

Divinâ annuente & favente gratiâ,

*In inclutâ Academiâ Albimontanâ.*

SUB PRÆSIDIO

WILHELMI NIGRINI,  
Philosophiæ Practicæ Professo-  
ris Publici.

*Liberalis exercitiij gratiâ Publicè discutiendas  
exhibet*

JOHANNES GEORGIUS DÖLLIUS  
Dresdensis Elect. Sax. Alumnus.

*Ad diem 1. Junij*

In auditorio Veteri horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typogr. JOHANNIS RÖHNERI,  
ANNO MDCXXXVI.